



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Sapientia

Pinamonti, Giovanni Pietro
Segneri, Paolo

Coloniae, Anno M.D.CCVI.

VD18 12664146

Consideratio quarta pro die Mercurii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50782](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50782)

hac vita , merearte amare, tēque frui
æternūm in altera, Amen.

CONSIDERATIO IV.

PRO DIE MERCURII.

PUNCTUM I.

Pœna Angelorum.

*Deus Angelis peccantibus non pe-
percit , sed rudentibus inferni de-
tractos in Tartarum tradidit cruci-
ciandos, 2. Petri 2.4.*

I. **C**ONsidera primum peccatum in
mundo patratum , ejusque pri-
mum supplicium. Angeli scilicet ante
omnes alias res creatas extracti ex aby-
so nihili sui, in cælo empyreo collocas-
ti , summo insuper ingenio præditi,
summâq; sapientiâ, nec pulchritudine
inferiore, immortales denique, & Nus-
minis videndi capaces, pro debita con-
ditori suo obedientia ac subjectione,
tertiâ sui parte ab eo deficiunt. Illicd

igitur in eos divinæ justitiæ vibrato fulmine, unâ omnes sententiâ fulminati, momento unico in tartarum præcipitantur. Quid? inquires, multitudo tanta par numero arenæ maris? nihil ista, nihil refractariis spiritibus patrocinatur multitudo, ratum fixumque est, omnes unam in gehennam ablegantur? Atqui opera sunt manuum tuarum, æterne Conditor, prima atque perfectissima: Sint enim verò talia opera, nunc autem peccato contaminata, ad rogam & ignem pertinent. Et hoc quidem pro peccato unico celerrimæ cogitationis? imò pro peccato lethali, quod solùm sufficit, ut odio eos habeam & abominer æternùm. Spatium saltèm ipsis, atque orium daretur respiscendi, necdum enim alieno supplicio docti sunt sapere, necdum pœnarum minis territi: & nunquid ex data ipsis delicti venia idem cederet honos nomini tuo? nunquid ipsi clementiæ tuæ erunt ingrati, & non potius allaborabunt, obsequiis infinitis compensare errorem suum? nihil ista movent

æquissimi mentem iudicis: inconcussa stat sententia, peccârunt angeli, omnes igitur, in ictu oculi, ad ima inferni præcipitantur. O! quanta est iudiciorum tuorum æquitas, justissime Deus! est infinita, nec tamen eam timent mortales! primi Regiæ tuæ proceres unius peccati pœnas luunt æternas, dum mancipia interim vilissima non desinunt absque metu peccare.

PUNCTUM II.

Supplicium Protoplastorum.

Quia audisti vocem uxoris tuæ & comedisti... maledicta terra in opere tuo. Genes. 3, 17.

II. **C**ONsidera primum inter homines peccatum, quod fuit Adami, & mala quoque omnia perpende, quæ ex hac Pandoræ pyxide in mundum invec̃ta sunt universum. Collige in unum fascem misérias omnes, quæ vitam nostram circumstant; huc inopiam, ægritudines, ignorantias, inimicitias, famem tempestates, pestem, li-

tes, bella, strages, vastitates congere;
 ex ossibus insuper mortuorum, quot
 quot unquam in terris vixerunt, in u-
 num coacervatis cumulum, erige mo-
 numentum, & postquam attonitis o-
 culis has omnes circumspexeris tam
 flebiles ruinas, ergone, inquires, totus
 iste miseriarum cumulus unius suppli-
 cium est peccati? hæccine est feralis
 illa janua, per quam omnis iste malo-
 rum exercitus, facto velut agmine, in
 mundum irruit? non peccasset Ada-
 mus; & nostri erant futura juris ac ar-
 bitrii, quæcunque uspiam sunt bona,
 justitia, pax, natura, gratia, vita insuper
 nunc felix, felicissima in æternitate.
 O peccatum, grande malum! cuius sty-
 gio torrente omnium inundatio ma-
 lorum orbem implevit. Inutiles illæ
 atque inanes lacrymæ, quibus pleri-
 que mortalium suam deplorant ima-
 ginariam infelicitatem: O! quantò
 meliùs justissimo famularentur dolori
 peccatorum, quæ sola scilicet in pers-
 niciem nostram tam fuere fecunda.
 Quid autem verba & tempus perdo?

O pestilens peccatum ! namque in eo etiam & tu veneno es per simile, cujus prima inter symptomata habetur oculorum hebetatio : Ità clarissimæ veritates non agnoscuntur à peccatoribus.

PUNCTUM III.

Unius peccati supplicium.

Luet quæ fecit, nec tamen consumetur.

Job. 20. 18.

CONSIDERA denique enumeratâ maiora omnia nihil esse, æternis pœnis comparata, quas propter peccatum unicum anima damnata sustinet in inferno. Lubeat igitur tibi accedere non nihil ad extremum duntaxat marginem horrendæ illius fornacis, & fixo illic obtutu, arbitrari tot animas in æternum damnatas, neque ob culpas alias quàm ob ipsasmet, vel pauciores etiam, quarum & tu reum te nôsti. An non horrore attonitus exclamabis: ergone pro momento unico pudendæ, sordidæque voluptatis, supplicia exsolvenda sunt inaudita, ac sempiterna?

ità enim verò est; peccati lethalis tanta
 est malitia, tam immensa fœditas, ut
 puniri mereatur morte infinità, sup-
 plicio nunquam finem habituro. Flu-
 xêre jam annorum quinque millia, ex
 quo Cainus in hoc æstuantium flam-
 marum Oceano circumnata, neque
 tamen usquam adhuc littus, nusquam
 portus, vel à longè apparet, & post tot,
 tantâque supplicia, ne teruncium qui-
 dem expunxit grandis illius debiti,
 quod per peccatum suum contraxit.
 Flueat posthæc quina, totidem fluent
 centena, imò centies millena millium
 annorum millia, idem tamen semper
 erit æternitatis initium. Tam grandi
 temporis fluxu videt interea Deus
 animam illam, quam ipsemet condidit
 ad imaginem suam, videt profundis
 sinâ æternorum ignium, & suæ despe-
 rationis abyssò absorptam, audit ge-
 mitus, audit clamores, neque tamen
 ullâ tangitur illius commiseratione;
 viscera illa tam teneræ plena caritatis,
 ut vel unius curam formicæ habeant,
 nunc usque adeò sunt indurata, ut nec
 hi-

hilum moveantur desperatione crea-
 turæ, olim in carissimarum numero
 filiarum adamatæ. Ecquod fel illud
 est & abiyntum, cujus unicâ gattu-
 lâ immensum mare dulcedinis in per-
 petuum amarescat? hoc fel est peccas-
 tum, *pereat Samaria, quoniam ad ama-
 ritudinem concitavit Deum suum.*
Osea 14. Mira hæc tibi forsân videns
 tur? adde & hoc, quòd peccatum
 nunquam ad condignum (cum scho-
 lis loquor) puniatur in inferno. Tam-
 etsi Deus uni animæ, propter unicum
 solùm peccatum, immitteret omnem
 illam pœnarum ac suppliciorum tem-
 pestatem, quâ omnes simul dæmones
 ac damnatos sinè intermissione affli-
 git, parùm adhuc foret id omne præ-
 unius merito peccati. Non potest De-
 us unquam, quantumcunque vibret
 ictum, ferire peccatorem tam gravi-
 ter, quin feriat leniùs, quàm peccatum
 ipsum mereatur (C). Nunc ergo intel-
 ligestandem, quale quantumque sit
 malum, offensa Boni infiniti. Ego
 certè non inveno tincturam nigrio-
 rem

rem, quâ tam fœdam tibi speciem le-
thalis peccati, magis graphicè depin-
gam.

ORATIO.

O ! Quàm parum cognovi hæc-
tus, mi Deus, monstruosam pec-
cati mei malitiam, quàm parum cog-
novi! Nempe & ego infelix in illorum
sum numero, qui, dum te offendunt,
nesciunt, quid faciunt. Quòd si un-
quam satis animo penetrâssem, suppli-
cia inferni tam immania, nihil tamen
esse, nisi umbram mali, præ peccato,
quod verum unicùmque est malum; si
penetrâssem, in irrogandis peccatrici
animæ suppliciis, quantum vis æternis,
majorem tamen clementiæ, quàm ju-
stitiæ tuæ haberi rationem, pœnam
omnem infinitè minorem esse merito;
si hæc, inquam, satis esse penetrâssem,
ecquâ fieri poterat, ut unquam pecca-
rem? quantum autem abfuit, quin meo
ipsiusmet irreparabili damno cogerer
experiri, certissimas has veritates, a-
man-

man-

mandatus ad feralem illam terrificam-
que noctem, cui nullus in æternum sol
exoritur? Prô quàm steti vicinus casui,
jam jamque lapsurus in horrendum il-
lud barathrum, cuius in extremam
oram jam multoties fueram delatus.
Tibi igitur gratiæ debentur, mi Deus,
qui mecum egisti secundùm magnam
misericordiam tuam, post justitiam in
alios tam severè exercitam, à quibus
tamen illa leviùs, quàm à me fuit irri-
tata. Et ego, post tot misericordiæ tuæ
in me exhibita argumenta, rursus te
offendam? ah! non admitte mi Deus,
tantum nefas; nimis fui cæcus haec-
tenus, quod injuriâ affecerim bonita-
tem illam infinitam, quæ omnium a-
mores hominum meretur. O! ut facta
mea præterita reddere infecta pos-
sem, quàm libens facerem quibus-
libet impensis meis! Tu, mi DE-
US, qui tuam hæcenus clementiam
exercuisti in peccatorem, exere
nunc potentiam adversùs peccatum,
istud destrue, istud redige in nihilum,
non tam quia mihi noxium, quàm
quia

quia tibi summè contrarium, & cordi tuo super omnia inimicum. Ità ego duplicè liberatus malo, culpæ atque pœnæ, in illa beatorum Patria laudabo nomen tuum assiduè, & misericordias tuas in æternum cantabo, Amen.

CONSIDERATIO V.

PRO DIE JOVIS.

Peccatum in Christo punitum.

PUNCTUM I.

Quàm grande Debitum peccato contractum.

Decem millia talenta. Matth. 18. 24.

I. **C**ONsidera, quantum debitum contrahas apud Deum, cum peccas. Hinc Justitia divina cupit sibi satisfieri, clamans: *redde quod debes*, illic verò satisfaciendi nec via, nec modus apparet. Conferant preces suas unum in cumulum Sancti omnes,
con-